

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3301

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1199

Action juridique : autre

Description de l'original : Chirographe (Début :Cyrographum de consuetudinibus molendinorum Rothomagi. Fin :De jam dicta jurea fuerunt facta quatuor cyrographa, de quibus dominus Walterus tunc Rothomagensis archiepiscopus habuit unum, et alterum Willelmus filius Radulfi tunc senescallus Normannie, et tertium Matheus Grossus tunc major Rothomagi, et quartum Galfridus tunc abbas sancti Audoeni ad custodiendum in thesanro ejusdem ecclesie.

Langue du texte : latin

Chirographe (Début :Cyrographum de consuetudinibus molendinorum Rothomagi. Fin :De jam dicta jurea fuerunt facta quatuor cyrographa, de quibus dominus Walterus tunc Rothomagensis archiepiscopus habuit unum, et alterum Willelmus filius Radulfi tunc senescallus Normannie, et tertium Matheus Grossus tunc major Rothomagi, et quartum Galfridus tunc abbas sancti Audoeni ad custodiendum in thesanro ejusdem ecclesie.

Analyse

Coutumes des moulins de Rouen, qui ont appartenu au roi et qui appartiennent désormais à l'archevêque de Rouen.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 50, p. 10-11.
- b. Société de l'histoire de normandie , Vernier Jules-Joseph, *Recueil de fac-similés de Chartes normandes, publiés à l'occasion du cinquantenaire de sa fondation (1869-1919)*, Rouen/Paris, A. Lestringant/A. Picard, 1919, Planche XII, p. 15-16.

Texte établi d'après a

Cyrographum de consuetudinibus molendinorum Rothomagi.

Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo nono, in vigilia sancti Michaelis, facta fuit jurea molendinorum Rothomagi que fuerant domini Regis, et nunc sunt domini Rothomagensis archiepiscopi, in aula turris Rothomagi, coram Waltero tunc Rothomagensi archiepiscopo, et coram Guillermo filio Radulfi tunc senescallo Normannie, et coram Matheo Grosso, tunc majore Rothomagi.

Isti subscripti juraverunt scilicet : Gaufridus vicecomes, Bartholomeus Bataille, Seffredus de Aufay, Gaufridus de Bordeni, Walterus de Bockelond, Savaricus de sancto Gildardo, Ricardus de Valoingnes, Gauterius de Barra, Lucas de Posterna, Ricardus Tardif, Radulfus de Ver, Aubertus Ruffus, Radulfus Groinet, Hugo Berengerii, Guillermus filius Ingenoudi, Willelmus Estace, Goislem, et dixerunt quod omnes illi qui attulerint per terram apud Rothomagum panem ad vendendum, non possunt illum vendere nisi in foro Rothomagi, in carretis suis vel super banastas suas quocumque loco eis placuerit, in eodem foro ; et omnes illi qui per aquam panem attulerint, poterunt illum discarcare, et vendere ad terram, apud ripam in seldis et domibus et in foro Rothomagi similiter ; omnes bolengarii, infra metas istas subscriptas manentes, debent molere ad molendina domini archiepiscopi ; hec sunt mete : scilicet a cruce atrii sancti Andree de extra portam, usque ad Beket de Martinivilla, excepta una masura in qua Willelmus Estace manet, que fuit et est quieta per dominum archiepiscopum ; et a porta sancti Audoeni usque

ad postem terre, que fuit Acardi Barrarii, et ab illo poste usque ad pontem Secane ; infra metas istas prefatas, habet sanctus Audoenus sex acras quietas et sanctus Amandus tres, et Rogerus filius Ricardi quatuor, et camerarius de Tancardivilla unam ; nullus enim bolengarius qui in hiis prefatis areis maneat, potest ullam earum relinquere propter aliam qui in ea quietus sit. Bolengarii domini archiepiscopi debent dare pro unaquaque summa frumenti molenda unum boissellum quintenarium ejusdem frumenti cumulatum et duos boissellos quintenarios rasos de curaillia farine, sicut districtius mensurata esse poterit, et famulo molendini qui annonam vanare debet, et eam molere facit et portare in tremuia et adjuvare ad levandum et carcandum et discarcandum, unum godetum farine rasum ; et, nisi fecerit, bolengarii non dabunt godetum illud farine ; et de ceteris bladis, similiter, exceptis boissellis qui non debent esse de curaillia. Ecclesia vero Beate Marie de Prato debet habere cachiam suam ad molendinum suum cum equo suo et heredes Moreim cachiam suam ad molendinum suum cum uno summario. Nullus bolengarius potest habere amplius quam duas fenestras ad panem vendendum, unam scilicet in hospicio suo et aliam in atrio Beate Marie. Nullus autem bolengarius, qui moluerit ad molendina domini archiepiscopi per unum annum et unum diem, potest deinde molere ad alia molendina quam ad molendina domini archiepiscopi intra suprascriptas metas. Constabularius de terra Rothomagi debet bladum suum quiete molere post primam summam quam ingranatam invenerit, et nichil dabit molendinariis nec servienti molendini, nisi sponte sua dare voluerit. Omnes illi qui per mare apud Rothomagum venerint et Judei debet pacare elemosinas et feuda domini Regis statuta, de meliori frumento molendinorum. Molendinarii debent capere boscum per livereiam forestarii in quibuscumque boscis voluerint, ad molendina predicta reparanda, si fracta fuerint, vel ea omnino renovari oportuerit ; molendinarii debent boscum capere in dominicis boscis domini Regis per licentiam ballivi domini Regis ad prefata molendina nova facienda. Et si Rodobecus a limite suo exierit, omnes molendinarii ibunt ad rupturam reparandam, et debent summonere omnes fullones et tintores super aquam Rodobecci manentes, qui domos tenent, et habent vasa fullonum et calderias, et ipsi in propriis personis ad reparationem venire debent, vel de singulis domibus unum servientem mittere ; et, nisi fecerint, molendinarii debent super ipsos servientes locare, et possunt propter hoc vadia eorum capere in domibus eorum absque requisitione alicujus justicie. Licet molendinariis domini archiepiscopi capere forisfactum molendinorum, scilicet de equo, aut de blado, vel de farina, super illos qui bladum suum ad molendum ad alia molendina attulerint quam ad illa ad que molere debuerint. Nullus molendinarius post (sic, l. : potest) molturam querere extra plancham molendini sui preter molendinarios domini archiepiscopi. Molendinarii, quibus dominus archiepiscopus molendina locabit, debent in principio jurare, et facere jurare servientibus suis molendinorum, quod ipsi molendina predicta tenebunt ad legales consuetudines predictorum molendinorum suprascriptas.

De jam dicta jurea fuerunt facta quatuor cyrographa, de quibus dominus Walterus tunc Rothomagensis archiepiscopus habuit unum, et alterum Willelmus filius Radulfi tunc senescallus Normannie, et tertium Matheus Grossus tunc major Rothomagi, et quartum Galfridus tunc abbas sancti Audoeni ad custodiendum in thesanro ejusdem ecclesie.